



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Bellegambe è Societate Jesu Theologi,
Enchiridion Theologo Practicum Tripartitum, De Ivbilæo
Ecclesiastico**

Bellegambe, François

Coloniæ Agrippinæ, 1700

Q. 2. Utrùm omnia opera præscripta debeant persici in statu gratiæ?

urn:nbn:de:hbz:466:1-42093

voti, jejunat, communicat, &c. consequitur Jubilæum, seu aliam Indulgentiam exigentem jejunia, communionem, &c.

II. Canonici, qui ex obligatione Chorum frequentant, consequuntur Indulgentias visitantibus Ecclesiam concessas, esto non maneant diutius in templo, quàm exigat eorum obligatio. Idem dic de faciente sacrum ex obligatione.

III. Clerici, dum suas Horas Canonicas legentes, dicunt ex ritu Breviarii, *Pater, Ave, Credo, Te Deum laudamus, Psalmum Miserere, aut De profundis, &c.* non minùs consequuntur Indulgentias, quæ, nomine alicujus Congregationis, seu Confraternitatis, aut ratione Numismatis S. Caroli, Quinque Sanctorum, &c. conceduntur recitantibus unum ex enumeratis, quàm si seorsim, & extra Officium Canonicum, orassent. Et ita de aliis.

Q. 2. *Utrùm omnia opera prescripta debeant perfici in statu gratiæ?*

C 3

Affir-

R. Affirmant Cajetanus in *Opusculi* Petrus de Soto, & alii, teste Bellarmino *De Indulgent. l. 1. c. 13.* qui & illos sequitur, quando opera præscripta sunt ad placandum Deum; cum Deus non placetur per opera mortua. Hæc quidem opinio tutior omninò est, & quantum fieri potest, suadenda, ut ista etiam ratione plus lucretur is qui Indulgentiam consequi cupit.

At S. Antoninus, Paludanus, Corduba q. 21. & alii, apud eundem Bellarminum, dicunt sufficere si ultimum opus perficiatur in gratiâ. Tum quia actualis acquisitio Indulgentiæ provenit ex satisfactione Christi & Sanctorum, Extravag. *Unigenitus, De Penitent. & remission.* non autem ex operantis dignitate, S. Th. in 4. dist. 20. a. 3. Tum quia non est necesse, ut omnia opera præscripta dirigantur ad impetrandum id quod intendit Pontifex, ut dictum est *sect. preced. q. 3.* & licet essent ita dirigenda, per bona de se opera in statu peccati mortalis facta

facta potest aliquid impetrari, ut docet idem S. Th. 2. 2. q. 83. a. 16.

Et hæc secunda sententia est probabilior, quam, præter modò citatos, tenent Navarrus *Notabili* 19. n. 19. & *Notab.* 32. n. 37. & *seqq.* Suarez *disp.* 52. *sect.* 5. n. 8. Coninck *dub.* 7. Filliucius *tr.* 8. n. 156. Layman. *l.* 5. *tr.* 7. c. 6. n. 2. Castropalao *pu.* 9. n. 3. &c.

Sufficit ergo, & necesse est, ultimum opus perfici in gratiâ. Unde consultò faciunt, qui opera præscripta concludunt Confessione. & Communionem.

Non est tamen necesse, ut totum ultimum opus perficiatur in statu gratiæ, si illud habeat continuationem, ut jejunium, oratio, &c. Sed fatis est, si ante finem jejunii, orationis, &c. sis in gratiâ. Gobat *tr.* 4. de *Indulg.* n. 153. cum Suarez, Bonacinâ, Dianâ: Josephus Augustinus *Brevi notitiâ*, De *Indulgent.* n. 10. Georg. de Rhodes, de *Pœnit.* q. 5. *sect.* 5. §. 5.

Q. 3. Quid, si opera præscribantur expressè ad placandum Deum, ad impetran-